

Sancho Ramírez dona a Montearagón diversas propiedades en Aragón y Navarra, entre ellas la iglesia de Santa María de Ujué con sus pertenencias.

Archivo de Montearagón, caj. M, num. 45.

Ed. R. de Huesca, *Teatro histórico*, 7, p. 462-471.

In nomine summi et eterni Dei omnipotentis, Patris et Filii, et Spiritus Santi. Notum sit omnibus Ecclesie filiis presentibus scilicet ac futuris, quod ego Sancius, gracia Dei omnipotentis rex Aragonensium, necnon et Pampilonensium, Ranimiri regis filius et Petrus filius meus, memores verborum domini nostri Jesu Christi, quibus ipse dixit: date helemosinam, et ecce omnia munda sunt vobis; et quoniam helemosina á morte animam liberat, et sicut aqua extinguir ignem ita helemosina extinguit peccatum, facimus donationem ex rebus nostris ecclesie Jesu Nazareni que est sita in Motearagon. Igitur ego prefatus, Sancius rex, et filius meus Petrus, volentes placare in omnibus divinitatem ob inmensa beneficia á Deo nobis collata, quoniam debet felicitas hominis beneficiis respondere creatoris, calore Sancti Spiritus succensi, donamus eiudem ecclesie capellam Sancti Salvatoris de Luar, cum omnibus ecclesiis et capellaniis suis, que ibidem sunt vel fuerint cum decimis et primiciis et cimiteriis, atque alodiis suis, et palaciis, terris, vineis, et uno clavigero in eodem castro de Luar, nomine Enneco Fortuniones, cum filiis et filiabus suis et omnibus que ad eum pertinent, et cum omnibus que habet vel que in posterum acquiret. Preterea, donamus supradicte ecclesie Jesu Nazareni ecclesiam Sancti Clementis de Arrasal, cum omnibus suis pertinentiis, decaniis, possessionibus, terris, vineis, pastuis, silvis, garricis, arboribus, molendinis, ortis, aquis,

aquarumque exitibus et regresibus earum, vie ductibus et reductibus earum, cum uno excusato nomine Fortunio Lup de Arrasal, cum filiis et filiabus suis et omnibus ad eum pertinentibus, et cum altero excusato in Bentue nomine Enneco Asnar, cum filiis et filiabus suis et omnibus ad eum pertinentibus, et cum universis que nunc habet vel que in posterum acquiret. Preter hanc donationem, concedimus etiam eidem ecclesie Jesu Nazareni monasterium Sancti Andree de Fanlo, cum omnibus apendiciis suis, decaniis, villis, mansis, palaciis, possessionibus, cum omnibus hominibus mischinis suis et posteritate illorum, cum terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, garricis, arboribus fructiferis vel infructiferis, molendinis, aquis, cum exitibus et regressibus earum, vieductibus et reductibus earum, tam urbanum quam rusticum, mantuosum sive declivium quidquid dici vel nominari humano ore potest, omnia et in omnibus sicut unquam tenuimus vel tenere debuimus, per qualescumque voces, sine ulla reservatione, cum universis que nunc habet vel in futurum habiturum est. Super hec quoque concedimus prescripte ecclesie Jesu Nazareni monasterium Sancti Januarii, quod est situm super ripam fluminis quod dicitur Gallico, cum decaniis, alodiis, villis, terris, vineis, molendinis, ortis, silvis, pratis, pastuis, et cum omnibus que nunc habet vel in futurum acquiret. Donamus etiam predictae ecclesie ecclesiam Sancti Johannis de Arguisal, cum terris, vineis, ortis, molendinis, pascuis, silvis, cum omnibus apendiciis suis, tam presentibus quam futuris. Addimus similiter ecclesias et capellanas de castello Sancte Eulalie que ibidem sunt modo in suis terminis vel in antea erunt, cum alodiis, decimis et primiciis. Confirmamus etiam eidem ecclesie Jesu Nazareni ecclesias de Castello-Sabals, cum alodiis, terris, vineis, omnibusque possessionibus quas nunc habent vel que in posterum habebunt. Addimus etiam ad remedium salutare animarum nostrarum ecclesias de Vallelonga et de Iebluc et de Sabaies, cum omnibus alodiis, et decimis et primiciis et oblationibus christianorum, et alhobeis sacarracenorum, et omnibus pertinentiis suis presentibus et futuris. Concedimus etiam predictae ecclesie molendinum de Abintraela cum suo orto, ut illud ingenum possideat in perpetuum. Damus etiam ortum ultra ripam fluminis juxta viam de Terz situm. Concedimus etiam ecclesias de Arbanes, de Castilgon, de Olivito, et de Septimo et de Alcala, cum omnibus decimis et primitiis et apendiciis suis que nunc habent vel postmodum acquirent, et mezquitas ibidem sitas cum alhobeis sarracenorum, cum omnibus pertinentiis suis. Addimus etiam ecclesias que sunt in Bespen vel erunt cum his que ad eas pertinent vel pertinebunt, cum ecclesiis de Blequa et cum mezquita et alhobeis ejus. Super hec confirmamus ut ecclesia Jesu Nazareni habeat ecclesias et mezquitas de Saraniana cum pertinentiis suis et alhobeis earum, et ecclesias de Lizana et de Anguas et de Almalech et de Junzano et de Cetrana et de Siso et de Labata cum omnibus decimis et primiciis ab integro, et cum terris, vineis, ortis, molendinis, et omnibus ad eas pertinentibus. Concedimus insuper prefate ecclesie Jesu Nazareni mezquitas de Petrasilice et de Marcen, et de Nobals, et de Argaviso et de Sallelas, prope de Sessa et de Boriaman et de Baros et de Calgen et de Albero et ecclesias que ibi sunt vel fuerint cum decimis et primitiis et omnibus pertinentiis suis. Addimus etiam et donamus prelibate ecclesie monasterium Sancti Petri de Siresa, cum omnibus pertinentiis suis, decaniis, villis, mansis, palatiis, possessionibus, terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, molendinis, ortis, aquis, aquarumque exitibus et regressibus earum, vie ductibus et reductibus earum, et cum omnibus hominibus et meschinis suis eorumque posteritatibus, et cum universis que habet vel in posterum acquiret. Damus preterea supradicte ecclesie monasterium Sancti Johannis de Gordeia, cum omnibus suis pertinentiis, necnon et decimas alodiorum nostrorum et molendinorum, que habemus in Marquerlo et in Arrigulos et in Murelo et in Tolsana et in Heliso et in Aguero, decimas quoque homicidiorum et omniun jus-

titiarum que fient in illis a vel in terminis earum. Adhuc etiam ego rex Sancius et filius meus Petrus, amore Christi provocati, donamus ecclesie Jesu Nazareni ecclesias et cappellanas de Castro Aierb que ibidem sunt modo vel in antea erunt in omni termino suo, cum decimis et primiciis suis et oblationibus, atque omnibus que ad eas pertinent seu pertinere debent vel que in posterum pertinebunt. Addimus similiter ecclesias et capellanas de Boleia cum omnibus alodiis, terris, vineis, ortis, decimis, primitiis et omnibus apendiciis suis presentibus et futuris. Damus etiam mezquitas de eadem Boleia, cum omnibus que ad eas pertinent vel pertinebunt. Concedimus etiam Jesu Nazareno ecclesias de Lupingen, cum decimis et primiciis et omnibus pertinenciis suis. Damus etiam ecclesias de Artasona, cum decimis et primiciis et oblationibus suis. Addimus quoque omnes decimas de nostra laborantia que pertinent ad Luar et ad Montaragon et ad Aierb, vel ex omnibus locis in quibuscumque laboraverimus intra Alcanatre et flumen Galeco, vel ex omnibus laboranciis que fiunt infra terram et pertinent ad merinaticum de Montearagon. Concedimus quoque medietatem decime ex tota almutegena et novena quas inter duo predicta flumina hodie habemus vel dinceps habuerimus. Decimas quoque equarum, vaccarum, porcorum, ovium, quintarum, preter hec homicidiorum, justitiarum, herbaticorum, et omnium omnino rerum que nostre sunt possessionis infra terminum predictum. Volumus preterea et discernimus ut oves et cetera qualescumque bestie ecclesie Jesu Nazareni proprie, vel a clericis, et a mischinis suis possesse libere sint et ingenue, et ubicumque introierint nostrorum jumentorum vel bestiarum greges ad pascendum erbam, pascant et introeant Jesu Nazareni bestie, et hominum ejus solute et sine ullo cisso malo, et de illis montibus silvis ubi homines nostre familie intrant, et taliter homines Jesu Nazareni ad quod opus habuerint.

Ego insuper, rex Sancius et filius meus Petrus, donamus ecclesie Jesu Nazareni de Montearagon et sanctis qui ibidem sunt ecclesiam Sancti Jacobi de Funs, cum omnibus ecclesiis et capellaniis que ibidem sunt vel erunt, cum decimis et primiciis, suis et cimiteriis, alodiis, terris, vineis, molendinis, ortis, omnibusque pertinenciis suis que hodie habent vel deinceps acquirent, et cum decimis placitorum, homicidiorum, quintarum et omnium censuum quos habemus vel habere debemus in tota valle de Funs. Simili tenore concedimus ecclesias de Alasuas que modo sunt ibi vel fuerint in omnibus terminis suis presentibus et futuris. Damus quoque ecclesie Jesu Nazareni ecclesias de Pennalene, et ecclesias de Marcella, et ecclesias de Miracho et ecclesias Sancte Marie de Arlas, cum decimis et primiciis, terris, vineis, ortis, aquis, molendinis, herbaticis et cum omnibus aliis suis apendicis, simul cum decima laborantie regie que fit in Petralta et in Arlas et in Falces et in Miranda, et cum decimis molendinorum, homicidiorum et justiciarum que fient in eisdem villis, et cum decima alodiorum que tenent nostri milites in fedum. Damus insuper Jesu Nazareno ecclesias de Murelo Freto, et de Sanctacara et de Caracastello, et de Villazorig, cum omnibus decimis, primiciis et oblationibus suis, et cum omnibus ad eas pertinentibus. Donamus etiam predictae ecclesie Jesu Nazareni ecclesiam et castellum de Arrada, cum villa, cum decimis et primiciis, et omnibus terminis suis ab integro. Addimus etiam prioribus donationibus ecclesiam Sancte Marie de Larraga, cum capellaniis et omnibus ecclesiis que modo sunt ibi, vel fuerint in omnibus terminis suis, palaciis, possessionibus, terris, vineis, pascuis, silvis, garricis, arboribus fructiferis vel infructiferis, aquis cum exitibus et regressibus earum, cum decimis et primiciis, et cum decima regiorum molendinorum qui sunt vel erunt in eadem villa, cum decimis homicidiorum et justitiarum, et cum decima de illa novena de eadem villa. Similiter donamus ecclesiam Sancti Salvatoris de Ponte de Arga, cum omnibus que habet, vel habere debet. Statuimus etiam ut habeat prefata ecclesia Jesu Nazareni decimas homici-

diorum et justitiarum in tota valle de Ovans et de Miranda et de Andion et de Cebror, cum decima de novena in eodem Cebror, et de nostra hereditate decima et primicia. Concedimus quoque predictae ecclesiae ecclesias de Ibero, cum decimis et primiciis suis et cum alodiis, domibus, terris, vineis, molendinis, ortis, et cum decimis laboraciarum regalium, et cum decimis molendinorum, ortorum, vinearum, homicidiorum et justitiarum de tota ipsa terra quam nos ibi habemus vel habere debemus. Volumus etiam ut habeat ecclesia Jesu Nazareni decimas terrarum, vinearum, molendinorum et ortorum, et omnium rerum quas habemus in Arazuli, et decimas omnium terrarum quas habemus in Artica et in Xandua. Concedimus etiam decimas de terris, vineis, molendinis, ortis, quos habemus vel habebimus nos vel alii homines per nostrum donativum in castro quod dicitur Stella, et deciman parie quam persolvunt judei qui sunt vel erunt in eodem castro. Similiter damus illam ecclesiam de illo castello cum omnibus suis pertinentiis et suis directaticis, et cum decima placitorum, homicidiorum, et justitiarum que fient in eadem villa. Addimus etiam deciman denariorum vel reddituum omnium de salina de Grenez, deciman quoque terrarum et vinearum de Borrouz, quas dedimus seniori Eximino Fortuniones de Punicastro. Deciman quoque terrarum et vinearum regalium, quas dedimus in Lerate et in Carcara seniori Enneco Beiolaz. Damus etiam decimas terrarum et vinearum et molendinorum et ortorum, quos dedimus in Exauri seniori Sancio Garcez.

Preterea donamus supradictae ecclesiae Jesu Nazareni ecclesiam Sancte Marie de Uxua cum ecclesiis et capellaniis que infra ejusdem terminos sunt vel erunt, cum decimis et primiciis, cum alodiis, decaniis, mansis, palaciis, meschinis, terris, vineis, erbaticis, pratis, pascuis, silvis, garricis, arboribus fructiferis et infructiferis, ortis, molendinis, aquis, aquarumque discursibus et vie montuosum quam declivium, et cum universis que in presentiarum possidet vel que in posterum Deo volente acquirat. Donamus etiam decimas terrarum, vinearum, molendinorum, ortorum et carnaticorum quas habemus in Tafalia et in Us et in Beir. Donamus etiam Jesu Nazareno ecclesias de nostra almunia de Olit que modo sunt ibi vel fuerint, cum omnibus decimis et primiciis suis. Addimus quoque ecclesiam Sancti Vincentii que est sita infra terminum de Us, cum omnibus alodiis et pertinentiis suis. Concedimus etiam decimas terrarum et vinearum et ortorum quos habemus in Abeiza, necnon decimas homicidiorum et justitiarum que ibidem sunt, que omnia dedimus seniori Garcia Fortunionis. Damus quoque decimas terrarum quas dedimus muliere seniori Eximino Fortunionis que sunt in Estelava. Similiter concedimus decimas et primicias terrarum, vinearum quas habemus in Leerga. Decimas quoque terrarum et vinearum quas habemus in Brece. Decimas quoque denariorum quas habemus in salinis in eodem Brece. Concedimus etiam ecclesiam sancte Marie de Uncui cum terris, vineis, et molendinis et ortis et meschinis et cum omnibus appendiciis suis. Decimas quoque et primicias terrarum et vinearum quas tenet senior Garcia Exemenz in Exau per manum regiam. Addimus etiam ecclesiam Sancti Johannis Evangeliste de Ligin, cum aliis suis ecclesiis, et capellaniis, alodiis, terris, vineis et cum ecclesia Sancte Marie de Exave cum terris, vineis et cum domibus et alodiis suis, et cum una domo quam dedimus eidem ecclesiae Sancte Marie, cum radicibus suis et cum omnibus sibi pertinentibus in eadem villa, et cum omnibus que nunc habet vel deinceps acquirat. Decimas quoque damus terrarum et vinearum et ortorum et molendinorum regalium, infra terminos de Ligin et de Hurroz et de Aboiz et de Artasso, et de Lumbier et de Zuazu et de Lizogne et de Vart. Damus quoque deciman parie quam persolvunt judei habitantes in villa que dicitur Lizarrarela. Stabilimus etiam ut habeat ecclesia Jesu Nazareni decimas homicidiorum et justitiarum que pertinent ad nos, de Urunia usque ad pontem Sancti Martini, et de Tafalia usque ad Iruniam. Decimas

etiam et primicias vaccarum, equarum, porcorum, ovium, caseorum, quintarum que sunt nostre possessionis infra terminos predictos. Concedimus simili donatione ecclesiam Sancti Johannis de Sangossa, cum ecclesiis et capellaniis suis que in eodem territorio sunt vel erunt, et cum Sancto Juliano de Aivar, cum decimis et primiciis, terris, vineis, possessionibus cunctis ad eas pertinentibus, tam presentibus quam futuris. Damus preterea decimas et primicias terrarum, vinearum, et molendinorum et ortorum in Gallipenzo et Cassida et Civitatella et Sancta Eulalia, et omnes decimas que modo expenduntur in faciendo ponte, quas postea peracto ponte ad jus ecclesiarum precipimus redire. Concedimus et confirmamus ecclesie Jesu Nazareni omnes decimas nostrarum hereditatum, quas habemus vel habebimus nos aut aliquis homo per nostram manum in prestimo aut donativo de carta, de Funs usque ad Ponicastro, et de Ponicastro usque ad pontem Sancti Martini, et de ipso ponte usque ad terminos de Arguedas et de Tutela, quas in proximo annuente Deo habebimus. Similiter mandamus ut in totos illos sotos ubi intrant nostri homines et nostri merini, aut illi seniores qui tenent illos per nos, intrent ibi vestri homines et sint absoluti per intrare et taliare sine ullo cesso, et sine ullo damno.

Igitur hec omnia superius scripta, ego Sancius prefatus gratia Dei rex, et filius meus Petrus, bono animo et bona voluntate, donamus predictae ecclesie Jesu Nazareni pro remedio animarum nostrarum, patrumve, ac filiorum nostrorum, necnon avorum, omniumque propinquorum, sive parentum nostrorum, ut clerici prescripte ecclesie Jesu Nazareni deprecentur domini pietatem pro statu regni nostri et pro peccaminum nostrorum absolutione, et hec nostra oblatio acceptabilis sit Deo, quatenus det nobis Deus victoriam contra inimicos nominis christiani, et de isto regno transitorio valeamus transire ad regni celestis gaudia, et in die tremendi examinis mereamur in electorum numero aggregari, atque audire illam desiderabilem et obtabilem vocem: Venite benedicti patris mei percipere regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Si quis vero, regum, imperatorum, episcoporum, clericorum, judicum, aut aliquis secularium seu ecclesiasticorum, aut aliquis posteritatis nostre contra hoc privilegium donationis nostre ad irrumpendum venerit, non valeat hoc vindicare quod requirit, sed componat omnia hec in duplo, et meliorata et inantea ista carta firma et stabilis permaneat omni tempore.

Facta est carta III. nonas mai, era M.C.XXXI. Anno Dominice Incarnationis M.XC.III, subdie idus januarii, in anno IIII. quo edificatus fuit et factus Montearagon. Regnante me Sancio gratia Dei rege in Aragona et in Pampilonia, Petro autem filio meo prelibato regnante in Suprarbio et in Ripacurcia et in Montesson. Petro episcopo in Irunia. Alio Petro episcopo in Jaca. Raimundo Dalmatio episcopo in Rota. Alio comite Sancio Sangiz in Baiona et in Sancti Stephani de Deio, Senior Lop Garcez in Unocastello, et in Tafalia.

Ego Petrus Aragonensium episcopus, consilio cannonicorum meorum, Sancii videlicet propositi, Luponis archidiaconi, Galindonis prioris, et aliorum quidquid in hac carta continetur scriptum secundum privilegium domini Urbani pape laudo et hac (**signo**) signum confirmationis manu propria facio.

Ego Petrus Pampilonensis episcopus, consilio domini Frotardi abbatis Tomeriensium et cannonicorum sociorumque meorum, Poncii videlicet monaci, Abonis, et Petri Remigii archidiaconi, et Foncii Vitalis, et Ugonis de Conquis primi Pampilonensis prioris, et aliorum, secundum privilegium domini Urbani pape laudo cartam istam, salvo jure episcopali, et hac (**signo**) signum manu propria facio.

Ego Berengarius Terrachonensium archiepiscopus subscribo (**signo**) et hoc signum confirmationis facio.

Ego Frotardus abbas quambis indignus Tomeriensium laudo cartam istam et hoc signum manu propria facio (**signo**).

Signum (**signo**) Sancii. (*Suscripción del rey en caracteres árabes*).